negotiari lucri causa, aliaque non ita pauca, quæ clericis, non vero laicis crimini dantur cap. 1° de clerico venatore, cap. 6° Ne clerici vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant, Tridentinum de Reformat. Sess. 22°. cap. 14°, Benedictus 14. de Synodo Diœcesana lib. 10° cap. 3° § 3°, et lib. 11° cap. 10° § 8°, Engel in Jus Canonicum lib. 24° num. 5°; item signum relinquere, discedere ab agmine, et cætera ejusdem modi, quæ in militibus, non etiam in cæteris delicta putantur l. 3ª l. 3° § qui stationis 5° ff. de re milit., Antonius Mat. prolog. cap. 4° num. 6°

Nominata crimina dicimus perduellionem, adulterium, furtum, et quæcumque alia, quæ habent nomen proprium suum, et quo qualia sint, intelligimus: exstant enim et scelera alia, quæ nomen minime habent, innominata propter eam rem vocari solita. Cunctum hoc innominatorum genus comprehendit vox stellionatus, qua voce placuit uti ducta similitudine a stellione animante, cujus corium guttis variis in stellarum formam depictum, haud exhibet certum vultum, undecumque coloris, de quo animali Ovidius cecinit eleganter

. . . . aptumque colori
Nomen habet variis stellatus corpora guttis.

Itaque ista vox nomine fungitur vice nominis: contra ea nihil illis in criminibus indicat, nisi quod caret nomine l. Stellionatus 3° § 1° vers. ubicumque, tum vers. et ut generaliter ff. de crimine stellionatus, Vigant vocab. juris in verbis stellio, stellionatus, Antonius Mat. prol. cap. 4° num. 13° vers. planeque ausim.

Notoriorum quoque criminum, occultorumque vetus divisio. Notoria vocant crimina, quæ adeo sunt manifesta, ut infitiari nequeat reus ipse: cujus modi sunt, quæ facta fuerint in magna frequentia populi: Occulta nuncupant, quorum probatio non ita facile valet haberi. At quoniam in crimine omni id potest accidere, ut vel palam, vel clam perpetretur, patet isto modo distingui criminum potius notitiam, quam ipsa crimina. Sunt qui tradunt, in notoriis sceleribus probatione non oportere, quod non videtur admittendum; Antonius Mat. prolog. cap. 4° num. 19°. Hoc namque ipsum, an crimen sit necne notorium, haud aliter judici, sicuti debet, certo innotescet, præterquam re apprime cognita, conquisitisque

probationibus, quibus facta forte adversus aliquem conspirationes hostiles, inanesve, quales sæpe sunt, existimat, rumores populares discernantur a veritate. Antea vero aequomodo eidem constabit crimine de notorio, si nedum constat de crimine? Nec vero hoc aut est, aut potest esse contraria sacrorum auctoritas Canonum in cap. Ad nostram 21º de jurejurando, et cap. Tua nos 8º de cohabit. cleric. et mulier. Nam caput ad nostram 21. in manifestis, et notoriis removet non probationes qualescumque, sed tanta = subtilitatem ordinis judiciarii =, sive exquisitiores actus judiciorum ritus, qui ad evitandas fraudes cum fuerint inventi, non videntur convenire ad res adeo apertas, et pervulgatas, in quibus, quæ undique confluit probationum copia, avertit quandoque fraudis, errorisque periculum. In capite autem tua nos 8º quæ occurrunt verba illa = nec testes, nec accusator est necessarius = aperte est eadem verba referri ad maleficium, quam legislator ibidem nuncupat evidentem, quam evidentiam judex, quemadmodum dixi, non assequetur, nisi per inquisitionem sedulam, perque progressum probationum justarum errori aditum intercludentium. Etiam scriptores rerum canonicarum de suo aliquid in hunc locum conferunt. Ajunt quippe crimina esse vel ecclesiastica, vel civilia, vel mixta. Ecclesiastica servant judicio solius ecclesiæ: civilia relinquunt potestati

civili, propterquam in reo Clerico, qui secundum valentiam regulam de actore debente sequi forum rei, in hoc quoque delictorum genere actorem pertrahet forum ad ecclesiasticum, idemque suum. Tandem in criminibus mixtis potestati utrique aferunt jus cognoscendi. Quando autem unius ejusdem delicti duplex pœna sit, locorum peculiaria instituta, consuetudinesque induxerunt, ut vel mixta ad tribunalia ecclesiastica nimirum hominibus laicisque composita rerum deferantur, vel tantum ille illas cognoscat sive ecclesiasticus judex, sive civilis, qui judicium præoccupaverit Devoti institutionum Canonicarum lib. 4º tit. 1º. § 1º. ad G. Engel in jus Canonicum lib. 1º tit. 1º num. 13º. Adnumerant ecclesiasticis maleficiis solent Apostasiam, Hæresim, schisma, simoniam: civilibus homicidium, furtum, rapinam: mixtis sacrilegium, perjurium, sortilegium, delictaque venerea Devoti loco cit.

Caput 10.

De abolendis, extinguendisque criminibus

§ 58.

Abolere, extingui crimen cum dicitur, quid intelligatur.

Appellatione criminis nunc intelligimus etiam

ex crimine obligationem (nam illa aboleri potest); non intelligimus ipsum criminis facinus: nam hoc aboleri non potest; hoc est non potest effici, ne factum sit l. verum est 31ª ff. de regulis juris, l. in bello § facti 12º ff. de captivis et postlim., l. 1ª § si vir 14º de adq. possessione, l. 1ª in principio cod. de rapt. virginum.

Atqui solent a criminibus nasci obligationes duæ; una pertinet ad præstandum damnum, si quod alteri privatim fuit illatum delinquendo: altera ulciscitur ipsam rem publicam, quæ violari intelligitur factis, maloque exemplo eorum, qui deliquerunt. Prior obligatio, quamvis proveniat et ipsa ex crimine, attamen habet naturam civilem, actioque, quam illa parit, nihil differt ab actionibus cæteris, quæ dicuntur continere persecutionem rei; quia per illas persequimur nostram rem, sive quod nobis abest ex patrimonio: et ideo cum sint mitissimæ, atque ex media naturali juristitia, non solum hæredibus creditoris dantur, verum et in debitoris hæredes l. in honorariis 35ª vers. ille autem ff. de obligat. et actionib., § ex maleficiis 16º, et seq. Instit. de actionib., Vinnius Instit. tit. de perpetuis et temp. actionib. § non autem 1º num. 6º et 12º. Itaque nostrum non est agere de hoc genere: tantum hic placet per transennam adversare aboleri obligationes

hujusmodi nec solere, nec debere, cum ad injuriam eorum, qui alienis delictis affecti sunt damno, non sint cogendi carere justissima damni reparatione, quam leges, naturaque ipsa pro ipsis decernunt. Ad institutum de criminibus nostrum spectat obligatio altera, qua reus in persolvenda pœna reddit id, quod civitati debet crimen ob perpetratum. De ista igitur publica animadversione quærimus, dum quærimus quemadmodum crimina aboleantur, extinguantur.

§ 59.

De primo criminum extinguendorum modo, sive de pœna reddita.

Antiqua, et digna vox solutione ejus, quod debetur, tolli omnem obligationem Instit. quibus modis tollitur obligatio in principio: Quod si justum in genere omni, multo æquius in hoc asperrimo, in quo versamur, nimirum ut etiam pœnæ obligatio tollatur, ubi semel reus illam persolverit. Persolvisse autem necesse est, hoc est totam passum esse: neque enim solvisse videtur, nec liberatur obligatione debitor, nisi qui solidum solverit Antonius Mat. de Crim. in lib. 48. tit. 19. ff. cap. 1. num. 1., Vinnius Instit. quibus modis tollitur obligatio in princ. num. 4º

Porro solidum, qui deliquit, persolutum dico, si implevérit modum pœnæ præscriptum a judice, quantumvis forte mollitum eo, quem præscribit lex l. aut 3ª cod. ex quibus causis infamia irrogatur l. 18ª § divus 6º. l. servus 34ª ff. de pœnis. Non quia judici liceat declinare a lege, sed quia minime censetur declinavisse; quia legittima reputatur illa pœna, quam decrevit quasi legittimam res judicata fungens, sicuti notum est, et jamjam opportune applicabimus (§ 60º) vice versa. Et est vero satis æquum lenitatem judicis in minuenda forte legis pœna prodesse reo, cui fuisset vicissim judicis asperitas nocitura in pœna adaugenda l. interdum 56ª § qui furem 1º ff. de furtis, l. qui atque 13º § pœna gravior 7º ff. de his qui notantur infamia, Antonius Mat. in lib. 48. tit. 19. ff. cap. 1º num. 1º.

Ea, quæ vicissim debentur, compensatione quasi mutua solutione deleri res est explorata. Propterea quæ tibi certum, puta, debebam, videor ea persolvisse ex tempore illo, quo tu mihi pecuniam parem æque certo, et æque prompte exigere debere l. etiam quod 6ª ff. de compensationibus, Instit. de actionibus § in bonæ fidei 30º, Vinnius ibidem. At hoc quod utile utrinque, justumque cognoscitur in re civili,

æquum debet videri in re criminali; Antonius Mat. in lib. 48 tit. [illegible] ff. ... 1º. In maleficiis quidem levioribus, et quæ tota forte pertinent ad injuriam privatam, solemni forte compensatio poterit, videlicet propter ipsam eorundem levitatem, quæ satis punita videtur vel illo uno, quod pati delinquentium alter debuit ab altero, ut non sit propterea necesse ad hoc accedere etiam accusationem, atque judicium, quæ tristes, ac permolestæ sine dubio res sunt, et ideo, quantum publica salus patitur, coercendæ semper, ac temperandæ. Quamobrem si tibi illatam vertis contumeliam retorsisti continuo in illum, qui intulit, vicissitudine, æqualitateque injuriarum vos liberatos indicat Jurisconsultus in l. qui cum major 14ª § si diversis 6º ff. de bonis libertorum, Heineccius Instit. civ. lib. 4º tit. 14º § 1001q. (§ 121º). Verumtamen in maleficiis illis, quæ sunt majoris momenti non minus absurdum erat, quam pestilentissimam aperiri istam scelerum multiplicandorum viam, invalidi privatam hanc, et justi modi nunquam conservatricem ulciscendi licentiam. Quocirca in genere isto si pariter ambo alter in alterum deliquistis, patiatis eo

[illegible] privatas quietatis [illegible] [illegible], non [illegible] eodem modo [illegible] rionem publicam, quae in publica animadversione pugnaque versatur. Illa enim ratione periculosi exempli perniciis, quam attulit societati, qui primus vastum debuit, deplorata illa quidem est, non est compensata; neque redempta per mutuum scelus alterius. Tantum igitur abest, ut illa ita liberati sint, ut possint quasi non vere, graviterque peccavisse; uterque, debeat uterque ~~digna~~ poenam digne pendere.

§ 60.

De re judicata

Nec societatem, ubi nulla quies, nec ullam sibi quietem reperit, ubi nullus sit finis litium, et disputatorum. Hinc illa rerum judicatarum tam propriis auctoritas. Res judicata Modestino est = quae finem controversiarum pronunciatione judicis accipit = l. 1a ff. de re judicata. At licet res judicata valeat vocari quaecumque judicis pronunciatio absolventis, aut condemnantis, secundum leges civitatis, nec (quippe verum est ita non judicavisse) non tamen haec erit excellens, et praestantissima ea res, de qua nunc disserimus: erit potius quod verbo magis peculiari, atque proprio diximus

judicatum, nisi praeterea id habeat, quod vidimus postulari a Modestino, nimirum, ut faciat finem controversiarum.

Scilicet non ita tuto veritas vera est posse cognosci ex judiciali unica pronunciatione: idcirco in omnibus fere causis data potestas provocandi, quae ope disceptationum novarum vel injustitiam fortasse detegeret prioris judicii, vel justitiam confirmaret. At quod cum ita foret provisum privatis rationibus litigantium, simul non erat obliviscenda illa publica ratio suprema, quae abhorret a perpetuandis litibus: proindeque oportebat et certa provocandi constitui tempora, et simul certum praefiniri numerum provocationum: quorum utrumque fuit factum jure communi, dum et jure fas est tantum intra dies decem, ex quo lata sententia est, ac tantum bis provocare Autentica hodie autem Cod. appellat., Novella 23a cap. et sancimus 1o, § unica cod. nec licet in una, eademque causa tertio provocare, l. 1a § biduum 5o, et seq. ff. quando appellandum sit, Vinnius part. juris libro 1o cap. 33o § 6o in fine, et 7o in principio.

Quando igitur vel cessatum fuit a provocatione interponenda intra tempus legitimum, vel fuit exhaustus numerus provocationum, quem cujusque civitatis